



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Laurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

587. Quid ergo possit quò ad executionem commissionum Apostolicarum
delegatarum Officiali seu Vicario Episcopi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

Quaestio 587 Quid ergo possit quoad executionem commissionum Apostolicarum delegatarum Officiali, seu Vicario Episcopi.

1. **R** Esp. Commissa à Sede Apostolica, v. g. literas in forma dignum, dispensationes matrimoniales, & similia directa Episcopo, aut ejus Vicario generali exequi nequit aut expedire Vicarius Capituli sede vacante. Pax Jord. lib. 12. tit. 2. num. 28. sic decisum testans à S. Congregatione Concilii in *Cameracens.* 2. August. 1631. Barbof. *jur. eccles. lib. 1. cap. 32. num. 57.* testans sic resolvisse eandem S. Congregationem sub die 24. Maii 1621. dispensationes matrimoniales directas Episcopo, & ejus Vicario generali, si sedes vacare contingat, non posse per Vicarium Capituli expediri. Pirh. *ad tit. de offic. Vicar. num. 78.* Garcias *loc. cit. num. 41.* dicens, id certum; eò quòd Vicarius Capituli sede vacante non sit Vicarius Episcopi, sed Vicarius episcopalis jurisdictionis. Felin. *in cap. Eam te. de rescript. num. 17.* apud Layman. *in cap. Romana. de offic. Vicar. num. 16.* hinc etiam inferens, ut dictum supra *quest. 1. hujus capit.* quòd causa à Sede Apostolica delegata Vicario, seu Officiali Episcopi ab illo cognosci nequeat, si Episcopus mortuus sit; cum is idem Vicarius Episcopi à Capitulo assumptus, & confirmatus, non sit Vicarius Episcopi, sed Capituli. Contrarium tenentibus, quos citat *loc. cit.* Barbof. *Salas. de LL. d. 20. sect. 17. num. 124.* Ochogav. *de Sacram. tract. 4. de matrim. quest. 11. num. 23.* Basil. *Pont. de matrim. lib. 8. cap. 18. §. 1. num. 13.* Sanchez *de matrim. lib. 8. d. 27. num. 32.* à quibus, præcipue à Sanchez, quid in contrarium opponatur, & qualiter probabiliter fundamentum sententiæ oppositæ; quòd nempe Vicarius Capituli non sit Vicarius Episcopi, solvatur. Vide apud Layman. *loc. cit.* & à nobis relato supra *cit. quest. 1. hujus capit.*

2. Sed neque, si literæ & commissiones simpliciter directæ Vicario generali diœcesis, non dicendo: Vicario Episcopi; sed Vicario generali diœcesis, v. g. *Trevirensis*; vel simpliciter, Vicario *Trevirensi*; adhuc Vicarius Capituli sede vacante videtur non posse eas exequi. Ità expressè Garcias *loc. cit. num. 44.* & seq. Barbofa *loc. cit.* citans Leon. *in Thes. fori eccles. part. 1. cap. 10. num. 8.* Bonacinam *de LL. d. 1. quest. 3. punct. 8. §. 1. num. 7.* Riccium *in decis. Curia Archiepisc. Neapolit. decis. 44.* Novart. *in sum. Bullar. tit. capit. sede vac. num. 27.* Contrarium iterum à fortiore sententibus Sanchez, & aliis paulò antè citatis. Fundatur hæc sententia potissimum in stylo curiæ, & cancellariæ, quæ sede Episcopali vacante non dirigit hujusmodi literas in forma dignum, nec dispensationes, & similia Officiali Capituli, sed Episcopo viciniore, vel ejus Vicario. De quo stylo testatur Hieronym. Paul. *in præct. Cancell. in princip. vers. circa qualitatem personarum.* quod, inquit hi AA. Garcias & Barbofa, manifestum signum esse, nomine Officialis, seu Vicarii absolute prolati in literis, quæ diriguntur, v. g. Vicario *Trevirensi*, non intelligi Vicarium Capituli, sed Episcopi. Citat etiam pro hac sententia Garcias *loc. cit. num. 46.* & seq. aliquor Rotæ decisio-

nes, quarum una, nimirum in *Ilerdensi. pensio.* 4. Maii 1588. sic habet: Resolutum sententiam, de qua agitur, fuisse nullam. Cùm enim delegata fuisset causa à Sede Apostolica Officiali *Ilerdensi*, cujus officium expiraverat per mortem Episcopi, & à Capitulo deputatus fuisset alius Officialis sede vacante, licet successerit Capitulum in locum Episcopi respectu jurisdictionis ordinaria, non tamen successit respectu jurisdictionis delegatæ, &c. Non tamen videtur in hoc puncto latis sibi constare Barbof. dum *num. 59.* ait: & sic jam hodie Capitulum sede vacante exequi non potest causas Vicario Episcopi delegatas, nisi in commissione exprimeretur nomen diœcesis, v. g. Vicario *Bracharensi*; quia, dum sedes vacat, Vicarius est Officialis diœcesis illius. Ità novissimè *Vulpe. in pr. iudic. fori eccles. cap. 44. num. 6.*

3. De ceterò notandum, quod habet idem Barbofa *loc. cit. num. 10.* poterit tamen Vicarius Capituli sede vacante executioni demandare literas Episcopo per S. Congregationem directas, & ab illo non executas. S. Congregat. præposita negot. Episcoporum. & Regular. sub die 10. Aprilis 1615. nec non omne illud, quòd Episcopo mortuo per Bullam, seu Breve in causis jurisdictionem importantibus concessum erat, eadem S. Congregat. in *Tranensi. 26. Januarii. 1604.* & in *Neapol. 10. Februarii. anni ejusdem, &c.* Quod verò tradit Naldus ad decretal. *in cap. ad abolendam. de hereticis, commissionem, seu delegationem factam Episcopo defuncto (intellige à Sede Apostolica) expediri posse per Vicarium Capituli, Diana part. 8. tr. 4. resol. 66. in fine.* dicit omnino improbabile; eò quòd causa delegatæ Episcopo mortuo expediri nequeant per ipsum Capitulum, utpote quod non succedit in jurisdictione Episcopi delegata, sed tantum in ordinaria.

Quaestio 588. An Vicarius Capitularis possit amovere Officiales à Capitulo constitutos?

R Esp. Juxta sententiam illam, quòd liceat Capitulo in actu electionis Vicarii Capitularis facultates restringere, & sibi aliqua reservare, quòd sicut Episcopus potest sibi eligere secretarium, ac ceteros ministros & officiales justitiæ, ita potest Capitulum sede vacante eisdem deputare tanquam necessarios ad jurisdictionem exercendam; maxime cùm soleat illorum deputatio Capitulo reservari in electione Vicarii Capitularis, juxta formulam impressam per Quarantam in *sum. Bullar. v. Capit. sede vac. num. 15.* quem à Pax-Jord. *lib. 12. tit. 2. n. 60.* recitatam lege. Ità Pignat. *rom. 9. consult. 159. num. 4.* Jam verò Vicarius Capitularis non potest hujusmodi Officiales amovere, sed tenetur eos adhibere, sicut tenetur Vicarius Episcopi, quia hujusmodi Officiales dicuntur Officiales jurisdictionis Episcopalis, cujus ipse dicitur Vicarius tanquam vices gerens Capituli, à quo jurisdictionem habet. Pignat. *loc. cit. num. 5.* citans Barbofam in *sum. decis. Apost. collect. 125. num. 10.* ubi is testatur, declaratum à S. Congregatione non licere Vicario ad suum libitum ministros illos amovere. Confirmatur hoc